246. In Iseo effossa basis columnae formam exhibens, a. 0.65, diam. circ. 0.35. Litterae saec. fere I a. Chr. n., a. 0.048 (in v. 1), 0.04 (in ceteris versibus). Exscripserunt Pernier, Colini. *Ect.*

Ἰουλία ἡ καὶ
Μωπυργὼ Ἶσι
Σεράπι χαριστ-
τῆιον.

Nomen Μωπυργώ aliunde, quod sciam, ignotum est.

247. Inter Isei rudera effossus cippus, l. 0.17 (ceterae mensurae desunt). Litterae saec. I a. Chr. n., a. 0.03 (in v. 1), 0.02–0.03 (in ceteris versibus). Ectypum exscripsi.

– – –]ικία – – –
– –]μερίω Διο[– –
– –]εια Ἶσι Σερά[πι
εὐχήν.

2 sq., Post patronymicum – –]μερίω ethnicum desideratur (an Διο[καισαρ]εῖα ?).

3, Σεράπι malui quam Σερά[πει, cum Ἶσι (non Εἶσι) praecedat (cfr. tit. **246**, 3).

248. Inter Isei rudera, et quidem in templi peribolo septentrionali, effossus lapis porinus, superne et a sinistra mutilus, l. 0.39, a. 0.14, cr. 0.26. Litterae saec. II vel I a. Chr. n., a. 0.02–0.03. Delineavit Halbherr. *Ect.*

– – – – – –
– – τ]ῶν πρειγόνων
– –]ενὶς Κώη.

Mulier Coa in fano Isidis aliquid ex voto dicavisse videtur. Coos vero cum Gortyniis commercia habuisse etiam e tit. **168*** colligitur. Alius Cous aetate valde seriore (Christianus fuit) Chersonesi mortuus est (*I. C.*, I, VII, **11**).

1, Quidnam πρείγονες hic sibi velint non liquet: an de senioribus agitur quorum decreto titulus incisus sit? An et iuniorum consilium (νεότας) seniorum oppositum huc referendum est, cuius in saec. III titulis (**162**, 8; **163**, 6; **164**, 3) mentio exstat? De forma comparativa πρείγονες, confer titt. **72**, XII 18 sq.; **145**, 9.

249. Inter Isei rudera effossum epistylium e lapide porino, cymatio exornatum, l. 2.35, a. 0.19, in duas partes fractum. Dextra vero pars angulo inferiore a sinistra caret. Litterae ex. saec. I vel II p. Chr. n., a. 0.04–0.05; notandae sunt litterae Ε et Ξ. Spatia vacua hic illic divisoriorum vice funguntur. Exscripsit Colini. *Ect.*

Εἴσιδι καὶ Σαράπιδι καὶ θεοῖς συννάοις Φλαβία Φιλύρα μετὰ τῶν
τέκνων Γ. Μετρωνίου Μαξί[μου] καὶ Φιλύρας καὶ Λυσκίας τὸν οἶκον ἐκ θεμελίων
κατασκευάσασ[α] κα[θίδρυ]σεν εὐχὴν καὶ χαριστῆιον.

Cfr. Oliverio, « Ann. Scuola Atene », I (1914), 376; Pernier, « Atene e Roma », XVIII (1915), 61.

3, Supplevi.

Aedificium cuius epistylium habemus a Fl. Philyra liberisque eius C. Metronio Maximo, Philyra et Lyscia ex voto facto funditus aedificatum esse titulus noster docet. Qui vero οἶκος appellatur non tam templum ipsum quam cella in fano sacerdotum commodo exstructa fuisse videtur. Et quidem revera templum Isidi et Serapidi dicatum hoc titulo vetustius fuit (v. praef., TOPOGR., V). De Fl. Philyra eiusque liberis nihil aliunde constat.

1, Inter numina in eodem templo exculta Anubis sine dubio fuit.

250. Olim in Odei muro inaedificatus, deinde in vico 'ς τοὺς Ἁγίους Δέκα penes fratres Κουμιδάκη adservatus lapis vulgaris, a dextra fortasse desectus, l. 0.455, a. 0.255. Litterae saec. I a. Chr. n., a. 0.025–0.03; aliae litterae minoris moduli (0.005–0.01) additae sunt in margine dextro, quas ad v. 4 pertinere apparet (vide infra, ad v.). In tituli superficie, ab inferiore parte, cava duo conspiciuntur, quorum alterum a dextra extremam v. 6 litteram auferre potuit. Delineavit Halbherr. Periisse videtur.

Ἐπὶ Κύδαντος τῶ
Κύδαντος Κρητάρ-
χα καὶ ἀρχῶ ὅκα τὸ ι'
Κύδας Ἀπνάτω | τῶ Π|οντι|κῶ|
5 ἀγορανομήσας
Εὐετηρία.

Halbherr, « Mus. It. », II (1888), 590; III (1890), 699 sq., n. 140*; Blass, 5031; *I. G. R. R. P.*, I, 962. Cfr. Guarducci, « Riv. Fil. », VIII N. S. (1930), 475; De Sanctis, ibid., 486, adn. 1; Guarducci, ibid., XI N. S. (1933), 233 sq.

3, τὸ ι' (scil. δέκατον) legendum esse certum est (cfr. titt. **184**, 2; **197***, 7; *I. C.*, I, XVII, **5**, 2). Vide quae infra scribam, ad v.

4, Fortasse Ἀ(μ)γάτω emendandum est, quod nomen in Creta media valde usitatum fuit (cfr. Maiuri, *Onom. Cret.*, II, 640 sq.). Minoribus litteris τῶ Ποντικῶ additum est, quod scilicet lapidarius praetermiserat. Hoc cum v. 3 coniunxerant Halbh., Blass (qui tamen id vel ad v. 4 pertinere potuisse adnotavit), et Cagnat (ad *I. G. R. R. P.*), cum in v. 3 τοὶ legissent; ipsa vero ad v. 3 rettuli (quamvis hic τὸ ι' recte intellexissem), cum τῶ Ποντικῶ mensis nomen iudicarem, cuius dies decimus in v. 3 expressus esset; deinde De Sanctis numerum ι' ad Cydantis magistratum pertinere atque τῶ Ποντικῶ Apnati (vel Amnati) patrem indicare docuit, quam sententiam equidem confirmavi (« Riv. Fil. », XI N. S. [1933], 233 sq.). Ante ΚΩ lapidem vexatum esse ex apographo apparet quod Halbh. confecit, ita ut ipse ceterique Ποντ[σ]κω suppleverint. Ποντικῶ malui, cum nomen Ποντικός, a Ponto scilicet exortum, aliunde notum sit.

6, Utrum nomini Εὐετηρίᾳ littera *iota* adscripta fuerit necne, incertum est, cum lapidis superficiem hoc loco cavum interrumpat.

Cydas quidam agoranomi munere functus Eueteriae dedicationem facit.

1 sqq., Cydas Cydantis filius Κρητάρχας idem fuisse videtur Κύδας Κρητάρχας in nummis commemoratus (v. praef., NUMMI); ipse tamen utrum ille fuerit Cydas Gortynius M. Antonii rebus favens, quem Cicero (*Phil.*, V, 13; cfr. VIII, 27) « portentum insulae, hominem audacissimum et perditissimum » appellavit, necne, in incerto relinquam, praesertim cum nomen Κύδας et in Creta et potissimum Gortynae valde usitatum id aetatis fuisse constet. Idem vir in tit. **251** commemorari videtur.

2 sq., Κρητάρχας Cretensium Concilii aetatis Romanae praeses sine dubio fuit (cfr. Van der Mijnsbrugge, *Cretan Koinon* [New York, 1931], 71). Aliam Cretarchae muneris mentionem habes in titulo Aphrodisiensi saec. IV p. Chr. n. (*C. I. G.*, 2744, 7). De munere ipso, quod nonnulli viri docti cum ἀρχιερεὺς τοῦ κοινοῦ composuerunt, confer Paribeni, ap. De Ruggiero, *Diz. epigr.*, s. v. *Creta*, 1260; Muttelsee, *Verfassungsgesch. Kretas* (Hamburgi, 1925), 39.

3, Quidnam potissimum ἀρχός hoc loco significet incertum est; videtur tamen protocosmi munus indicare, praesertim cum locutio ὅκα τὸ addito